

quos confugerant, constitisse: ex quibus quosdam se-  
dem quaerentes pervectos in Italiam Aborigines ap-  
pellatos, Graeca scilicet appellatione, a cacuminibus  
montium, quae illi ὄρη faciunt. Alii volunt eos, quod 2  
5 errantes illo venerint, primo Aberrigines, post mutata  
una littera altera adempta Aborigines cognominatos.  
Eos advenientes Picus excepit permissos vivere ut 3  
vellent. Post Picum regnavit in Italia Faunus, quem 4  
a fando dictum volunt, quod is solet futura praecinere  
10 versibus, quos Saturnios dicimus; quod genus metri  
in vaticinatione Saturniae primum proditum est. Eius 5 □  
rei Ennius testis est, cum ait:

*Versibus, quos olim Fauni vatesque canebant.*

Ann. 1

Hunc Faunum plerique eundem Silvanum a silvis, 6  
15 Inuum deum, quidam etiam Pana vel Pan esse dixerunt.

Igitur regnante Fauno ante annos circiter sexaginta, 5  
quam Aeneas in Italiam deferretur, Euander Arcas,  
Mercurii et Carmentis Nymphae filius, simul cum matre  
eodem venit. quam quidam memoriae prodiderunt 2  
20 primo Nicostraten dictam, post Carmentam, de carmi-  
nibus, eo quod videlicet omnium litterarum peritis-  
sima futurorumque prudens versibus canere sit solita,  
adeo, ut plerique velint non tam ipsam a carmine  
Carmentam, quam carmina, a qua dicta essent, appel- □  
25 lata. Huius admonitu transvectus in Italiam Euander 3  
ob singularem eruditionem atque scientiam litterarum  
brevis tempore in familiaritatem Fauni se insinuavit  
atque ab eo hospitaliter benigneque exceptus non par-  
vum agri modum ad incolendum accepit, quem suis  
30 comitibus distribuit exaedificatis domiciliis in eo monte,